

RECTOR
 ACADEMIAE VITEBERGENSIS
ERNESTVS
F R I D E R I C V S
WERNSDORFIUS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR
 PVBLICVS ORDINARIUS ALVMNORVM
 REGIO ELECTORALIVM EPHORVS

INSTITUTVM
IO. GOTTFRIED MIETSCHII

OSSITIONE MISN. LL. AA. M.
 LIBERALITATIS WOLFRAMSDORFIAE MEMORIAM
 ORATIONE ANNIVERSARIA

A. D. XIV. CAL. MAI. A. R. S. CICICCLXI
 IN AVDITORIO MAIORI

CELEBRATVRI

C I V I B V S
 ET STVDIORVM FAVTORIBVS

COMMENDAT

Praemittitur antiquitatum Germaniae specimen IV.
 de originibus Alamannicis III.

VITEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSELDI
 ACADEMIAE A TYPIS.

Quod conditores noui limitis transrhenani,
ore Romano dicti, quo agri decumates
defendebantur, superiore inuestigatione
Traianum et Hadrianum deprehendimus,
aliunde amplius etiam illustrari potest.

Ostendimus vero ex VICTORIS epitome, et SCRIPTORE HIST. MISCELLAE, quam vocant, officia
publica, et palatina, nec non militiae in eam formam
ab Hadriano constituta fuisse, quae paucis per CON-
stantinum immutatis Arcadii adhuc et Honorii
temporibus perseverarit. Nec aliud SPARTIANVS intellexit, quem ordinata officia et impendia
scripsit. Hoc autem quid fuerit, longe clarissime
exponitur in DIONIS reliquiis, a XIPHILINO ser-
uatis, quorum sententiam in compendium redige-
mus. Testatur igitur is, Aelium, dum prouincias
obit, curiosissime speculatum munitionum oppor-
tunitates, alias diruisse, quasdam nouas struxisse,
partem etiam ad magis idonea loca transtulisse;
praeterea, quaecunque ad vniuersum exercitum
pertinuerint, arma, machinas, fossas, castella, ag-
geres, summa diligentia ordinasse atque restituisse;
disciplinam demum militarem, tum in vita et mo-
ribus, quem in officiis, stationibus, et exercitiis,
prudentissime correxisse. Quis vero non hinc
capiat, qua causa tories RESTITUTORIS elogium
in nummis eius signatum sit, quos larga manu pro-
ferunt ERIZZVS, BIRAGVS, SPANHEMIVS? Quis
etiam ob ea, quae praemisimus, non agnoscat,
coepit

coepa a Traiano in tam necessario limite opera,
vbi certe barbari non sic fluminibus aut montibus
separabantur, ut Raetiae, et Vindeliciae, et agrorum
decumatium, securitati sufficeret, digna vel in pri-
mis cura sollertissimi principis fuisse? At enim, quod
idem XIPHILINVS e DIONE adiicit, ea quae tunc
ab Adriano eum in modum instituta fuerint, per-
petuae inde legis vim in re militari Romanorum
habuisse, nonne fidem SPARTIANI atque VICTO-
RIS in his, quae posuimus, praecclare defendet?
Itaque VELSERVS etiam, scriptor grauissimus,
I. VI. rer. Aug. Vindel. nouas demum rationes in-
gressus est, quod post Octauiani Caesaris aetatem
istam mutationem dispositionis Raetiarum, quae in
NOTITIA IMPERII quadam tenus superest, insti-
tutis his Adriani adsignat. Sed possunt his, quae
ille animaduertit, addi multo explicationa. Nam
vocabula ista sequioris aeui, quae in notitia occur-
runt, virum eruditissimum per tam inuia et obsepta
emergere haud permisere, et vetus inscriptio, se-
cias praesertim intellecta, nullum praesidium attu-
lit. Res sic habet. DIONIS adsequatio, de Ha-
driani institutis aetate sua id est, sub Alexandro,
adhuc durantibus, fide est dignissima; sed SCRIP-
TORIS EPITOMES de vitis Caesarum imperitiae,
vt ex tanto interuallo temporum, et adulationalis
manifesta. Nam quod pauca a Constantino refert
mutata, mire fallitur; vt notitia imperii, tota histo-
ria, veteres inscriptiones, et tot noua, nec antea

visitata vocabula officiorum ostendunt. Imo disser-
tum et planum nobis testimonium de ingenti muta-
tione sub Diocletiano perhibet LACTANTIVS,
scriptor aequalis, de mort. persec. c. VII. p. 67. ed.
Bauldri. *Et ut omnia terrore completerentur, pro-*
uinciae quoque in frusta concisae, multi, praefides et
*plura officia singulis regionibus, ac pene iam ciuitati-
bus, incubare; item rationales multi, et magistri, et*
vicarii praefectorum. Vbi notabile CUPERI VO-
tum adscriptum legimus, ut aliquis haec diligenter
illustret, et COLVMBVS plures auctoritates attulit.
Quis ergo sibi persuaserit, formulas, prouinciis ab
Hadriano datas et officiorum institutas rationes,
obseruari deinceps solitas? De Raetia quidem, et
adiunctis huic, Vindelicia, atque sinu isto imperii per
agros decumates, videamus. Ab Augusti tempo-
ribus ad Vespasianum usque prouinciam Caesaris,
sub procuratore habitam, fuisse Raetiam, nec dum
in duas diuisam, clare perspicimus e TACITO I. I.
hist. c. XI. VELSERVS et CELLARIVS recte obser-
uant, Raetiarum post Hadrianum demum men-
tionem fieri; ideoque in TACITI Germ. prin-
cip. legi volunt: *Germania omnis a Galliis, Raetis-*
que, et Pannoniis, Rheno et Danubio fluminibus; a
Sarmatis Dacisque, mutuo metu aut montibus sepa-
ratur. Sed obseruanda est sermonis figura, qua
in priore membro prouinciae, in altero populi ef-
feruntur. Vnde melius scribetur: *Raetiaque; nisi*
illos audias, qui multitudinis numerum ferri respe-
ctu

Et u Vindeliciae posse putant. Quae autem Hadrianus tunc ea in prouincia mutauerit, quum, perditis melioribus scriptoribus, nemo prodiderit, conjecturis solis indaganda sunt. Procuratores antea in ea fuisse, neque consulares aut legatos pr. pr., e TACITO monimus. Accipiendi vero hi sunt ex Augusti instituto, qui praeter procurationem ipsam praesidum potestatem in tutoribus prouinciis habebant, quorum exempla post aliorum obseruationem SCHOEPFLINVS Alsat. Rom. Sect. II. c. I. §. III. not. i. p. 270. collegit. Intelligitur id ex auxiliis, cohortibus, alijs, copiis Raeticis, quorum TACITVS meminir, praesertim I. I. hist. c. LXIX. vbi nullam in copiis Raeticis moram fuisse, quo minus statim Vitellianis adiungerentur, scripsit, et c. LXVII. vbi auxilia Raetica, a Caecina missis nuntiis contra Heluetios excita, legionibus oppo- suit. Et c. sq. quando Raeticae aliae cohortesque nominantur, et iuuentus iis Raetorum subiicitur, hique omnes ab exercitu, qui legionibus constabat, distinguuntur; expresse loqui historicum patet, ut milites Romanos, qui tanquam sparsi variarum legionum numeri per alas et cohortes prouinciae, a qua nominabantur, praesidebant, adiuncta indigenarum iuuentute, auxiliis adscripta, designet. Nec aliud IDEM respexit, quum I. I. hist. c. XI. vires prouinciarum comparans, Raetiam in iis numerat, quae a procuratoribus cobibitae, quo verbo certe praesimalis potestas clarissime exprimi-

(3) tur,

tur, quibus in milites quoque imperium erat, vici-
nos exercitus, id vero est, legionarii militis robur,
respectare sint coactae. Et quomodo, vt, TACI-
TUS rursus memorat, l. III. hist. c. V., hoc ipso
tempore Porcius Septimius, Raetiae procurator,
incorruptae erga Vitellium fidei, reddere infestam
Flauianis, in Noricum descendantibus, Raetiam po-
tuisset, vt in latus etiam illud auxilia opponenda
fuerint, nisi imperio intra prouinciam etiam praef-
itus fuisset? Simul illud quoque ex his recte a
VELSERO colligi videtur, diu nondum legiones in
Raetiam fuisse transductas; quod vero idem, a
M. Aurelio denum legionem tertiam Italicam in
ea locatam, non DIONIS solum auctoritate, sed
antiquorum etiam morimentorum fide, confir-
mat, cui LVIII. post Hadrianum annis Claudius
Lateranus, *legatus Aug. pro praetore* praefuisse in
MONVM AGRI AVG. IIII. legitur, satis liquet, sub
Seuero non amplius procuratores, sed maioris im-
perii potestates, Raetiis praesedisse; quando hic ipse
Claudius, *legatus licet imperatoris pro praetore*,
quia prouinciae non sit mentio, praeses non fuit,
sed in exercitu tantum alterius ducis stationem ha-
buit. At si nummi, et quem VELSERVS conspectui
offert l. VI. rer. Aug., et quem e museo alio, typ-
que paulum diuersum, ANGELONVS protulit,
superiore specimine memoratus, aquilam inter signa
non praefrerunt, haud inde sequetur, quod ille pu-
tat, copias sine integris legionibus designari. Sae-
pius


pius enim in numismatibus conspicuntur adlocutiones quoque et donorum militarium distributio-
nes sine aquilis, quae moueri, nisi in profectione
aut expeditione vel triumpho, non consueuerant.
Vnde in rebus post victoriam aut in pace gestis,
nihil istarum imagine opus erat. Sed inscriptio
exercitus, qui sine legione proprie et latine non
cogitatur secundum mores veterum, ut modo e
Tacito ostendimus, abunde euincit, sub Hadriano
iam legiones in Raetia fuisse. Ipsene primus indu-
xerit, an a Traiano iam illic positas, noua praesi-
diorum dispositione melius ordinauerit, neandum li-
quido compertum habemus. Sed, si dicendum
quod res est, ne Domitianus quidem habere Rae-
tiam sine legionum praesidio potuisse videtur, si
coniurationem Antonii, viribus Galliae et Germa-
niae interioris potissimum subnixi, cogitaueris.
Quid? quod illa ipsa Germanorum multitudo,
quae ad spem rerum nouarum, non aliunde potius
erecta, in Danubii ripae propinquis bellum ciens,
ut ab Hispania Traianus euocaretur rebellium vltor,
ut e PLINIO superius cognouimus, non ex alia re-
gione magis metui debuisse iudicanda fuerit? Con-
iecturae rationem e TACITO reddimus, qui l. III.
hist. locis, quae iam adlata sunt, indicat, qualis Fla-
uianorum de Germanis per Raetiam metus fuerit,
vtpote Vitellii rebus studentibus, vt temporis insi-
diarentur, et l. eod. c. XV. diserte scribit: *simil in-
gens Germanorum vis per Raetiam timebatur.* Ita
fatis

satis ponderis inesse his momentis ducimus, vt, semel inductis in prouinciam legionibus, ne illorum digressu suspectae regiones gentibus infestioribus patefherent, mutata iam imperia sub Traiano, et pro procuratoribus, vice praesidum fungentibus, quibus legatos imperatorum vñquam paruisse, nondum legimus, legatos consulares, aut praetorios, ex instituto Octauiani Caesaris, esse praepositos existimemus. Manca, edacis vetustatis iniuria, istorum temporum historia certiora adferre non permittit.

Viger inter nos HERMANNI WOLFRAMSDORFI, V. ILL. ET GENEROSS., memoria, qui, raro splendidissimae liberalitatis genere delectatus, honestarum artium cultoribus conuictum quotidianum supremo iudicio ordinavit. Pietati erga eius beneficia et merita, vt omnium alumnorum nomine gratias agendo faciat satis, 10. GOTTFRIED MIETSCIVS, LL. AA. M., V. PRAENO B., a. d. XIV. Kal. Mai. orationem maiore in auditorio publice habebit, de sollemnitatibus quinquagesimae paschalis et seriatae diei ascensionis Christi. NOSTRIS CIVIBVS qui studio religionis, a Christo, omnium principum et potestatum domino aeterno suaequer veritatis vindice potentissimo institutae, nihil esse prius aut antiquius, explorato sciamus, nihil adhortationum ad frequentiam conciendam necessarium ducimus; deum potius, cuius nutu cuncta imperia stant caduntque, supplices, vt exaudiant posteri, imploramus, rata et accepta esse sibi finat, quae concipientur, vota, et patriam quoque nostram victoriarum Christi, dei pariterque hominis, participem faciat.

P. P. a. d. XVII. Kal. Mai. A. R. S.
c/o Iccc LXI.

B.I.G.



RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
ERNESTVS
FRIDERICVS
WERNSDORFIUS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIUS ALVM NORVM
REGIO ELECTORALIVM EPHORVS

INSTYTUTVM
IO. GOTTFRIED MIETSCHII

OSSITIENS. MISN. LL. AA. M.
LIBERALITATIS WOLFRAMSDORFIAE MEMORIAM
ORATIONE ANNIVERSARIA

A. D. XIV. CAL. MAI. A. R. S. CICICCLX
IN AVDTORIO MAIORI

CELEBRATVRI
CIVIBVS
ET STVDIORVM FAVTORIBVS

COMMENDAT

Praemittitur antiquitatum Germaniae specimen IV.
de originibus Alanannicis III.

VITEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.